# TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE, DE VARIIS ICTERICIS MORBIS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MICHAELUS RYAN,

Hibernus,

" *Occursurum vitio dicunt eum, qui originem*
" *non ignorârit.*"

CELSUS.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

*Excudebat Jacobus Neill.*

MDCCCXIX.

FRATRI CARISSIMO SUO,

# Rev. J. J. RYAN,

*IN URBE CORCAGIÆ,*

QUI

JUVENTUTEM SUAM ANXIE CUSTODIVIT,

HAS PAGINAS,

AMORIS FRATERNI LEVE SED GRATUM PIGNUS,

CONSECRAT

MICHAELUS RYAN.

CAROLO DALY, M. D.

ET

JOANNI M. BARRY, M. D.

*APUD CORCAGIAM,*

ARTEM APOLLINAREM,

FELICITER EXERCENTIBUS ;

A QUIBUS MEDICINÆ INITIA DIDICIT,

SINCERAMQUE EXPERTUS EST AMICITIAM,

HANC DISPUTATIONEM INAUGURALEM,

EXIGUUM

SED INTEGRUM ANIMI GRATI TESTIMONIUM,

SACRUM VULT

AUCTOR.

VIRO OPTIMO

J. W. DE LA COUR,

ARMIGERO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMI BENEFICIORUM HAUD IMMEMORIS

TESTIMONIUM,

DEDICAT

AUCTOR.

# TENTAMEN MEDICUM

## INAUGURALE,

DE

# VARIIS ICTERICIS MORBIS.

MICHAELE RYAN Auctore.

ICTERUM, ut hujus almæ Academiæ legibus quodammodo satisfacerem, tentaminis inauguralis argumentum selegi; non eo quod materiam novam, sive de Pathologia, sive de Curatione, proferendam haberem.

## ICTERI HISTORIA.

Morbum ita dictum ab antiquis accepimus, vel ab ave quæ Græcis Ικτερος, Latinis vero *galbula* dicitur; hæc enim si spectetur, sanari malum dicunt, et avem mori; vel ab alia volatili, quæ Ικτινος Græcis, milvus Latine appellatur, oculi siquidem hoc vitio laborantium, milvinis oculis similes, hoc est, auricolores videntur. Icterus demum a mustela sylvestri, Ικτις Græcorum, viverra Latinorum, cui oculi flavescunt. Regius porro Morbus dicitur apud antiquos, quia curandi gratia, " lecto et conclavi cultiora, lusu, joco, " ludis, lascivia, per quæ mens exhilaretur," utebantur. Arquatus demum antique dicebatur icterus, ob similitudinem quandam arcus cœlestis imaginariam.

Omnis ætas, uterque sexus, huic manifestissimo morbo obnoxiæ sunt; nec ulla orbis terrarum regio, vel anni tempestas immunis reperitur. Saunders scripsit fœminas sedentarias, virosque literis deditos, ictero aliisque viscerum abdomina-

lium vitiis pronissimos esse. Vires enim hepatis secernentes ab actione, quæ debilis admodum ductibus biliferis datur, parum nihil adjuvantur; sed præcipue abdominis musculis, diaphragmate, motu intestinorum peristaltico, aut hepatis ipsius, dum inter corpus exercendum agitetur, promoveri apparet. Exercitationis, igitur, tantæ defectus, quanta satis esset ductibus biliferis auxiliandis, morbos nonnullos jecinoris ex necesse producet. Auxilii hujus externi necessitas ad actionem hepatis perfectam manifestior erit, si motum sanguinis in eodem consideres; qui semper languidior existit quam in iis organis secernentibus, ubi fluida, arteriis impulsa, motu celeriore rapiuntur.

Ictero inter impetigines sedem concessit CULLENUS ordinem, ut omnibus constat, cachexiarum, his verbis definivit: "Flavedo cutis et oculorum, "fæces albidæ, urina obscure rubra, immissa co-"lore luteo tingens."

Quinque in species idiopathicas diremit; scilicet in Icterum Calculosum,—Icterum Spasmodicum,—Icterum Hepaticum,—Icterum Gravidarum,—Icterum Infantum.

Hic morbus aliquando supervenit cum sensu frigoris in dorso, et extremis inferioribus; languore, inertia, cibi fastidia, flatu, ventriculi acore, aliisque dyspepsiæ signis. Tensio, dolorque, modo acutus, modo obtusus in regione epigastrica dextraque hypochondriaca. Impetus, dies, immo hebdomadas nonnullas, molesto quodam plenitudinis circa hepar et ventriculum sensu, præsertim post pastum præmonstratus fuit. Hic nimis temperarius, nimisque metu carens, cum remediis fere cedat quibuslibet domesticis. Progrediente morbo bilis in sanguinem pervenit, unde partes corporis eo intensius tinget quo numerosioribus vasculis instruantur. Partes omnes corporis solidæ, cerebri medulla excepta, etiam ossa ipsa et adeps, tincturam prætersolitum induere observantur. Sed locus, quo bilis circulans imprimis et clarissime percipitur, tunica est oculi adnata, cujus albor scilicet naturalis magis a bile atriore discrepat. Hac equidem sola sæpe signa morbi certa apparent: alii enim affectus ut chlorosis, flavedinem quandam induunt; sed in talibus omnibus oculorum albedo manet intacta, sanguinem nullam habere bilem in se solutam ostendens. Fluida in ictero secreta sæpissime tingun-

tur; adeo quidem ut, si lac, auctore HEBERDENO, excipias, omnia, etiam semen, bili imbuuntur. Sudor coloratur, et saliva, quæ amarum adipiscitur saporem. Sed urina maxime omnium citiusque inficitur, quam aliæ secretiones. Color ejus et facultas, quam lintea tingendi possidet, protinus in primis diebus morbi certissimum præstant indicium. Sæpe nausea, vomitus, stercora lutea, observantur. Licentia poëtica plus quam observatio accurata eundem effectum oculi humori aquoso, et corneæ extendit, quum neque hodierna curiositas, hanc vel illum ita colorari invenit; ideoque res non per mediam substantiam flavescentem transpectæ sunt, nec adeo tincturam inde flavidam acceperunt.

"Lurida, præterea, fiunt quæcunque tuentur
"Arquati, quia luroris de corpore eorum
"Semina multa fluunt, simulacris obvia rerum;
"Multaque sunt oculis in eorum denique mista,
"Quæ contage sua palloribus omnia pingunt."

LUCRET. Lib. iv. l. 333.

———————"To the jaundiced eye
"All things seem yellow."

SHAKESPEARE.

HEBERDENUS auctor est, omnes quos viderat arquatos hoc miraculum se pati negasse, adjecitque, vanam ipsi talem opinionem videre. Possibile tamen utique videtur, præsertim in aurigine longa et intensiore, nec temere rejiciendi sunt gravissimi auctores GALENUS, HOFFMANNUS, BOERHAAVIUS, SYDENHAMUS, qui se subinde vidisse testantur. Aqua, porro, in abdominis cavum, morbus crebro ictero conjunctus, necnon eadem in cerebri ventriculos effusa, bile sæpe tincta videtur. Ficta signa sint responsa, de visu colorato, ictericos sciscitantibus reddita hoc modo manifesti comprehendes: Oculis objiciatur res quælibet cœruleo colore gaudens, si vere res alias flavescere videant, hanc viridem, ob radiorum mixturam describent, si vero fucum facere velint, flavam hanc etiam descripturi sunt.

Alvus adstricta morbi signum esse dicitur; status quidem hujus parum regularis existit, nec sæpius constricta, quam laxa. Pruritus, quem per totum corpus sentiunt molestissimus est. Frequenter colore flavo cutis et oculi occupantur, vario admodum gradu licet obstructio ca-

dem semper maneat, ideoque flavedo evanescens haudquaquam morbum in melius cedere indicabit. Præter hæc alia signa sunt, quæ ad species singulas potius pertinent, eorumque discrimina præstant. Hæc de causis excitantibus agens annumerabo.

Hujus morbi duratio admodum incerta; nonnullis intra paucos dies evanescet, aliis per menses aut annos adhærebit. Si quando formam assumpserit graviorem, ater vel niger morbus appellátur. Hac conditione vix aut ne vix sanabilis est; corpus enim stimulo, ideoque necessario tamdiu deprivatum ex morbi pertinacia, hydrope, hæmorrhagia, vel febre hectica exhauritur; atque sic miseranda vita cum optanda morte commutatur.

## SPECIES PRIMA, SEU CALCULOSA.

"Cum dolore in regione epigastrica acuto, "post pastum aucto, et cum dejectione concre"tionum biliosarum," hanc speciem definivit illustrissimus Cullen. Calculi biliosi ductibus

adhærentes, bilisque fluxum impedientes originem mali gravissimam et frequentissimam præstat; minus tamen formidabilem quam ex aliis excitantibus.

Subito epigastrii dolore supervenit, pastu adaucto. Nausea vomitusque adduntur. Licet æger, transiente calculo, dolore raro liber sit; mire tamen in horas exacuitur et mitigatur. Solamen insigne æger, corpus in genua procumbendo accipere solet, qui positus, ductibus relaxatis, prodesse apparet. Pulsus aliis centies, aliis non sanitate frequentior micat; aliis et lentior est; irritabilioribus pulsus plusquam centies. Calor corporis augetur, cum signis febris. Aliquando horrores sunt cum sudoribus profusis. Siquando illi adsint, notabile est quod dolori, post aliquamdiu extiterit, superveniunt, nec unquam antecedant, ut horroribus inflammationem comitantibus, solent. Ab horroribus pus formatum indicantibus, dolore continuo, hectica nulla distinguitur. Dolor, ut antea dixi, ad ipsum scrobiculum cordis gravissimus est, a quo quasi centro, undique per regionem epigastricam ad dextrum latus et dorsum extenditur. Jactatio, inquies,

molestissima, cum spasmis abnormibus et fugacibus, ubique corporis. Dolor, inquit PEMBERTON ab inflammatione distinguitur, quia pressu partis levatur, quia sudor adest; et pulsus non supra centies in minuto temporis micant. Dolor porro talis ex membrana inflammata sola oriri potuit, quo casu pulsus longe centies sæpius digitum feriret. Sed signum omnium certissimum est, si quando calculos æger antea dejicisset. Semel affecti huic malo postea pronissmi sunt, non solum quia causæ illorum agere continuent, sed quia paroxysmus sæpe non calculo in duodenum excluso, sed retro in fellis vesicam pulso, finitur. De illa iterum recidens dolorem et plurimos sic paroxysmos recreat.

In ictero calculoso prognosis fausta, nam calculus satis parvus ductum totum, modo intraverit, transibit quoniam hic laxior fit ubi choledocho coit. MONRO tertius auctor est calculos, ovum æquantes, viam sibi ex hepate in colon fecisse, unde aut per anum excernendos, aut fistula formata, trans abdomen emoliendos.

Quando concretio duodenum simul intraverit, non amplius lædere solet, sede corpore cum fæci-

bus ejicitur, sed cum transitus sæpe vomitum, motumque inversum ventriculi et duodeni concieant, haud raro in ventriculum, indeque per os calculus ejicitur.

Aliquando tamen dirupto ductu, morbus lethalem invenit terminationem. Calculi asperitas, vel nisus sub vomitu quam emetica temere adhibita, vel nimia ventriculi irritabilitas induxerint. Obstructione amota diarrhœa biliosa sæpe supervenit. Hæc igitur critica haberi debet. Signa infaustissima sunt doloris continuatio et intentio, carnis extenuatio, oculorum, cutis vel stercorum color non naturalis retenta, singultus, sudores profusi, torpor et delirium. Fausta morbi declinatio, doloris et molestiæ præcordiorum decremento, appetitus et concoctionis reditu indicatur. Urina quoque fit dilutior majoreque copia excernitur. Sedes flavæ, copiosiores, facile elicitæ, duri ac concreti aliquid habentes.

## SPECIES SECUNDA, SEU SPASMODICA.

Hæc quam prior morbi est species minus manifesta, quamvis confundi possint. Cullenus ita definit: "Sine dolore, post morbos spasmo-"dicos et pathemata mentis." Quod spasmus nunquam fit in ductu ipso, ab ejus structura crederem, cum fibris musculosis careat, quamvis hoc non omnino certum vel ratum est, quoniam Nysteni experimenta contrahi posse ostenderint. Spasmus ab obliquo ductus in duodenum ingressu mihi sæpius oriri apparet, duodeno in hoc concursu semet contrahente, bilemque ne intestina intret prohibente. Icterus perfectus dicitur febres nonnullas comitari, præsertim flavam illam Indiæ Occidentalis. Produci quoque viperæ morsu dicitur; quo casu, strictione duodeni convulsiva, oriri dicitur. Accessus iræ vehementiores, hunc morbum nunc temporarium, nunc permanentem induxerunt. Hoc nonnullis argumentum satis validum ductus constricti apparet, sed nihil hoc ad ductum plus quam duodenum referre videtur.

Impetus quoque fugacior quam qui ad calculum referri posset. Quin et MORGAGNUS duplici incisione ostendit, sæpe nullas esse concretiones ex animi affectibus. Sub hysteria aliisque spasmodicis morbis subito supervenire, iterumque cito abire dicitur. Prognosis fausta, hac simplice specie, ni alia mala comitentur.

## SPECIES TERTIA, SEU HEPATICA.

" SINE dolore, post morbos hepatis." Hæc periculosissima atque curatu difficillima est; ut jam olim HIPPOCRATI innotuit; unde aphorismus verissimus ejus: " Ictericis hepar durum fieri, " malum est *." Eos enim intemperantia, vel hepatis malo diuturno veluti inflammatione, scirrho, tuberculo, fractos adoriri solet. Pancreatis etiam, vel pylori scirrhus, omenti steatoma, eidem originem præstare solet. Inflammatio a superficie hepatis convexa ad ductus, vel cistulam fel-

* Sect. vi. Aphorism. 47.

lis icterum inducere valebit. Namque licet ductus inflammatio remediis tollatur, tunicarum tamen condensatio improba manebit. Hunc statum suspicari oportet, siquando icterus intensus permanens restet, nec æger multum doloris patitur in ventriculi regione. Nam icteri intensio demonstrat, ipsum hepar functione sua parum interrupta gaudere, atque doloris absentia calculum abesse indicat. Pylori quoque inflammatio, sese ad ductus extendet consimilem eventum inductura. Præter hæc, materia ossea in hepate deposita, bilis inspissata, lumbrici ductus occupantes, causæ fuerunt. Ductus ipsi et vesica fellis subinde contrahuntur, et ut alii volunt, obliterantur. Saunders hoc in liquorum fortium ingurgitatoribus præsertim invenit, sic ne bilem transmitterent, Hydatides amplæ ad mesenterii radicem, vel tympanites inducent. An vero morbus unquam a bile in intestinis retenta, excitatus fuerit, incertum est, quoniam ex variis obstructionibus, colica, obstipatione, volvulo, hernia raro videtur. Hoc tamen aliquando fieri de obstructione crederem, præsertim in iis morbis quibus flavedo post alvum probe apertam evanuerit.

Sauvagesius, auriginem quandam plethoricam his verbis descripsit. "Inter principia auriginis "primarium est, plethora, seu major sanguinis "et humorum quam natura fert copia; cum "enim circulatio sanguinis per hepar sit tar-"dior quam in aliis partibus, quippe cum sit in "vena portæ jam retardatus: cum a mole ni-"mia sanguinis cordi resistentiam offerrenti ul-"terius in hepate retardari, et ipsum sanguinem "inspissari, necessum est, unde supprimitur bi-"lis excretio." Hanc plethoram, ignavia, victu generoso, profluviis suppressis, catameniis, statu gravido, suboriri, et sanguinis missione, victu parciore exercitatione domari. Doctor Powell fœminam narrat phthisi, dum flavesceret, mortuam, cui nulla flavedinis causa præter hepatis plethoram reperiri potuit. Hoc utique mire auctum, laxum, tactu quasi fermentatum, bile ubique tinctum. Sanguinis igitur accumulatio adesse videbatur, intra viscus quæ tandem ductus biliferos obstruxisset. Vis capiti illata icterum nonnunquam inducit post aliquot dies, hepate interim tactui ampliore viso. Corpora ita affecta nunquam patefeci, ideoque an hepatis plenitu-

dini aurigo ejus sit referenda, nescio, quamvis ad eam sententiam proclivior sim.

Hæc ut ab omnibus species distingueretur maximi est momenti. Doloris gradu situque magis ad hypochondrium dextrum superiore distinguitur; nec minus quia subito superveniat, pressione aggravetur. Pulsus centies plusque in horæ sexagesima micat, ante icterum visum marcor insignis. Quin et inflammatio febrisve ictero hepatico antecedens, morbum satis dijudicabit. Prognosis infausta est veluti si intermittentem excipiat hydropemve comitetur.

## SPECIES QUARTA, GRAVIDARUM,

Dicente CULLENO, " sub graviditate oriens, et post partum abiens."

Hæc ullo graviditatis tempore appareat, atque ullis ex causis jam supra dictis originem debeat, sæpius tamen ex spasmo ventriculi vel duodeni ad ductum communem propagato, sive ex victus erroribus, sive ex frigore proveniente. Obstipatio, præsertim fæces in coli arcu transverso

retentæ sæpe hanc auriginem excitant. Dyspepsiæ fere signa præcedunt, quæ post flavedinem cœptam augescunt. Nonnullis tinctura non nisi levissima citoque evanescit. Aliis color fuscior multo et pertinacior, cum ventriculo et intestinis haud mediocriter perturbatis. Icterus sub fine graviditatis ab utero in ductus biliferos premente procedat ad partum usque urgens, cum aut per se, aut leni purgatione adhibita evanescit. Prognosis igitur ex toto fausta erit.

## SPECIES QUINTA, INFANTUM,

"In infantibus, haud diu post natales, oriens." Hæc paucos dies post natum puerum continuatur eruptio flava, (vernaculo sermone *yellow gum*), vulgo nuncupata. Powell ad lactium infarctionem fere neophytis observandam refert, nec ulli in ductu ipso impedimento tribuit. Fœtu nondum spirante omnia, quippe quibus nulla sit excretio, in abdomine contenta et turgent et torpent magnopere, donec motus respira-

tiones universa tandem emulgeat. Quo facto si plus bilis in duodenum ex ductibus exprimatur quam mucus ibi collectus admittere possit, hic illam retardabit, donec per vasa circum hiantia in sanguinem resorbeatur. Sæpe tamen ab hepate pueris grandiore, ductibus condensatis vel deletis, a bile viscidiore, vel muco viscido ductum communem impediente, oritur. Burns Glasguensis icterum neophytorum periculosum autumat, si dejectiones bile sint egenæ; conditionem enim fabricæ biliferæ non medicabilem summo cum jure metuamus.

## DIAGNOSIS.

De morbi aspectu adeo manifesto, signisque naturam ejus adeo distinguentibus, timor fere nullas est ne pro alio sumatur. Quum vero auctores inter hanc et chlorosin, febremve flavam, pro parte virili subsequar.

Febris flavæ aurigo, nec iisdem partibus corporis est, nec eadem incrementa, aut progressum habet, ac in ictero solet. Prima illius flavedo

tractum venarum jugularium sequitur, ad genas ad nares tandem deflectens; maculæ enormes circa pectus et dorsum occupant, pedibus sæpe antequam aliæ fuerint tactæ partes vehementer coloratis. Febris autem violentissima sedes valde biliosæ, etiam per se satis distinguerent. Chlorosis historia, quippe quæ juvencas tantum afficiat, oculi et unguium albedo incontaminata, bilis in sedibus dejecta, menstrua non fluentia, corporis tumor ille mollis, signaque asthmatica, satis superque ab ictero distinguunt. Quomodo inter icterum et hepatidem dijudicare oporteat, jam supra docui. Constitutione conquassata, et exhaustis viribus nonnulli cutem citri medici similem exhibent, quibus tamen bilis nequaquam in vitio esse apparet, " oculi enim flavi," dicit HEBERDEN, " urina atra, fæces subalbidæ desunt, " quas tamen nunquam simul vidi, quin ductus " bile obstructos esse vehementer suspicarer *."

---

* Vid. De Ictero.

## SIGNORUM RATIO.

Languor et lassitudo, consensui inter primas vias et corpus reliquum tribui solet, torpent enim illæ stimulo suo necessario privatæ. Tensio dolorque in regione epigastrica et hypochondriaca, a calculo ductus irritante, et distendente provenire apparet, varians pro ejusdem magnitudine et asperitate. A spasmo quoque vel inflammatione vicinarum partium ductusque oriatur. Cutis, oculorum, sanguinis, urinæ, salivæ et similium color adventitius e bile fit, quæ in sanguinem circulantem diffusa, ipseque viridem quandam tincturam impertiente, variisque partibus et fluidis deposita, flavedinem omnibus fere in corpore distribuit. Hanc mutàtionem oculi albuginea, propter puritatem majorem, prima subit. Visus flavidus modo adsit humoribus vel cornea bile tinctis gignitur, Pruritus eandem agnoscit causam, nam fel sudore mixtus nervulos cutis irritat pruritum faciens.

## CAUSA PROXIMA.

Remotis icteri causis recensitis, restat mihi aliquid de causa proxima exprimendum. Veteres bilis secretionem impeditam crediderunt, quod falsum est. Hodierni ad jam secretæ obstructionem universi referunt. Imprimis enim impedita, postea absorpta in sanguinem circulantem transit, ubi sero soluta, colorem huic suum flavidum impertit, qui sanguinis purpura mixtus, viridescit. Sanguis sic infectus, quocunque abit, tincturam universam secum affert, icterumque constituit.

Olim an bilis per absorbentia, an vasa sanguifera in sanguinem revehatur, acriter disputatum. Monro secundus absorbentia sola operari credidit, sed Saunders aliorumque experimenta satis ostenderunt venas hepaticas quodammodo auxiliari. Ictero cane per ligaturam inducto, bilem in ductu thoracico et absorbentibus reperit Saunders, atque plus etiam fellei coloris in hepaticis, quam aliis corporis venis. Hinc si hepar bile tumeat, id et absorptione, et fluido offen-

dente in venas hepaticas quodammodo regresso sublevari, bilemque in sanguinem utroque modo pervenire.

## CURATIO.

Hanc cum causis perpetuo variare necesse est, medendi enim semper consilium erit, id quod impedit quamprimum amoliri.

## SPECIES PRIMA.

Ubicunque indicia bilis in ductu impactam concretionem indicant, ut hæc in alvum tuto et celeriter descendat, conatus omnis dirigendus est. Hoc optime fit iis imprimis remediis quæ actionem fibrarum musculosarum nimiam compescunt; deinde, iis quæ mobilitatem nimis multam sedare solent. Hinc sanguinis missio utilissima. Balneum calidum, similis rationis ergo, adhibetur, ut potentissime relaxet. A 96° ad 100° cer-

te haud infra centum, calore debet, quo homo immersus tenere debet usque dum deficere incipit ; quod pro symptomatum violentia iterari oportebit. Hominis ipsius sensus, repetitionem, si utilis, submonebunt.—Vomitoria perpetua, præsertim ipecacuanha laudata fuerunt, utpote quæ calculi transitum expedirent. Nausea, vomitusque signa morbi certissima sunt, ideoque hæc medicamentis multiplicare parum necessarium apparet. Videntur ut auctor est HEBERDENUS, conatus quidam, Naturæ ad calculum expellendum, num vero promovendi aut cohibendi dubium admodum est. Concussio enim vehemens eundem aut in vesicam fellis retrudat, aut in duodenum deorsum expellat, ideoque solamen temporarium aut curationem absolutam efficiat. Jure vero timendum est, ne si calculus in ductu firmiter impactus sit, vomendi connisus vehementes hunc dilaceret, malumque vix non lethale induceret.—Opii exhibitio præsertim solidi commodissima invenietur, cum et doloris vehementiam molestam mitiget, nec signis inflammationis vetari appareat. Larga imprimis dosis, et

ex intervallo breviore repetenda, qui modus actionem remedii protrahet.

An vero hos in ductibus fellisve vesica solvere calculos possibile sit, vehementer ambigo. Hoc tamen consilio, æther sulphuricus, æther sulphuricus cum alcohole, spiritus ætheris nitrosi, oleum terebinthinæ, alcohol et alkali haud inutiliter exhibita fuisse dicuntur. At si horum calculorum solventia etiam potentissima possideremus, ambiguum admodum est ne hoc morbo quidquam proficere valerent. In ductu enim, vel in fellis vesica sitos calculos ut attingere nequeant, manifestum est, atque inde in duodenum digressos solvere fere supervacuum videtur. Profecto, ut mihi videtur, ubi medici prudentes in tam diversas sententias eunt, ibi censendum est hos fontes levaminis, scilicet hæc lithontriptica, esse exiguarum vel nullarum virium.—Purgantia tamen et exercitationem, præsertim equitationem, experientia comprobavit.

## SPECIES SECUNDA.

Icterus spasmodicus fere brevis est, cum spasmo generaliore qui produxerit constanter evadens; nec aliam postulat curam, quam quæ spasmum primarium, scilicet causam icteri, amoveat.

## SPECIES TERTIA.

In hac remedia nostra parum utique valent. Quando hepate scirrho affecto, aliterve aucto, inque ductus prementi oritur longe periculosissima est, cum causam removere minime in manu sit. Hydrargyro solo fontibusve salinis reditur, quorum hydrargyrum formula submuriatis exhibetur, ut salivam leniter moveat. Si quidem pylori scirrhus impedimentum fecerit, morbum sanare vix aut ne vix medicamina valebunt. Vomitu aliquandiu post cibum superveniente, macieque universa cognoscitur. Remedium solum commodi aliquid promittens hydrargyrum est, in hac

specie per membra infricandum, quoniam ventriculus continere nequibit.

## SPECIES QUARTA.

Icter hujusmodi a causis supra dictis accedente, ad remedia singulis privata confugiendum est; sed cum alvi duritie, uterive pressione provenerit, dejectionem lenem moliendo, morbum cito post partum fugabimus.

## SPECIES QUINTA.

Meconio intestina replente, aut alvo universa torpente, mucove in duodeno accumulato; medicamenta purgantia omnia hæc satis tollunt, sin minus, ictus electrici per abdomen levis transmissi dejectiones moliuntur.

---

Nunc propositum meum perfeci, et per totum opus, intrare tentavi in abdita quasi et pene-

tralia morbi, quo facilius ejus latebras et recessus patefacerem, oculisque exponerem ; quod si recte peregi mihi abunde est, sin minus, veniam peto ; scis enim, " humanum est errare."

FINIS.